e-codices

Oratio 2.

De Paupertate habita in triclinio nostro. 1660. XIII.

Commune, ac Vetustate penè contritum proverbium est Auditores ornatissimi, omnes qui Pauperes sunt, eos et miseros, et infelices esse, ac Vivere. Miserum enim esse omnes eum existimant, qui novercantis fortunæ insolentiâ, atque immanitate eò redactus, deiectus, deturbatusque est, Vt ipse sibi quod edat quærere cogatur, quod ipsum tamen ægrè admodum invenit: longè miseriorem eum, qui quærit, et non invenit: Miserrimum denique eum putant, qui cum cupit quod edat non habet. Atque adeo quidem hæc opinio mortalium animis iam infixit, atque tantas radices egit, Vt evelli nullatenus amplius possit, aut etiam qui aliud ostendere, probareque conatur, Æthiopem dealbare Vel ex arenâ funiculum nectere Velle Videatur, quod equidem ego non moror, Vt Vt sit, falsum esse, et non sine magnâ iniuriâ Pauperibus affingi ostendere hodierna luce aggredior. Quapropter adeste, adeste inquam, quos ea sors tangit, adeste omnes qui Pauperes estis, atque sortem, fortunamque felicissimam longè ho cognoscite; Ego Vos hâc de iniuria Vindicabo Vt non miseri deinceps, sed Beati; non infelices, sed felices dici haberique debeatis, eâ enim felicitate frui Vos, quam inuidere omnes, eripere posset nemo, demonstrabo.

Atque Vt inde proficiscatur mea Oratio: Videor mihi Videre, omnes omnino Pauperes in summo felicitatis fa-

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 115r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/fr/zbz/D0147/115r)